QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Martis decimâ nonâ.

M. AMBROSIO NICOLAO CHEMINEAU DOCTORE MEDICO PRÆSIDE.

An Victus tenuis & simplex salubris.



VIX posita sunt hominis rudimenta, cum ruinam meditantur: assiduo quippe substantiæ fluore corpus nostrum sensim dissolvitur. Debentur miscelæ seminum? ne solvatur, oportet accedat liquor indesinenter societatis vinculum. Credis in verme posita? edax recreari amat vivaci matris succo, & foveri benigno calore. Existimas homuncionis stamina in ovo contineri? non prius evolvuntur, quin fœcundetur aurâ seminali, & aspergatur succo ex uteri sinu deciduo. In auras prodit infans; aëris subitâ pressione commotus interius, vagitibus exprimit quibus recreari conveniat. Lacteosque latices exugit avidè, & amplectitur naturâ edoctus monstrante viam ad vitam, non consuetudine pulsus, non voluptate lacessitus. Sic dulci benigno simplicique utens cibo crescit, instauratur, ac firmus evadit. Quibus feliciter initio, iisdem utatur dum spirat, eorumdem usurâ crescat, adolescat, stet, consenescat expedit, si vitam velit vivere longiorem ac salubrem. Si dubitas, attende quibus vita fugiens continuò stet: quibus salubris perseveret, quibus ingrata occurrat mille modis labefactata, & citâ morte terminetur. Adulti vita in eo posita est, ut corporis machina è fluidis constans & solidis, fluidorum assiduam jacturam experiatur: solidorum depressionem penè continuam proportione servatâ: fluidorum motus duplex, intestinus videlicet, & progressivus. Solidorum robur nexui particularum, è quibus texuntur, referendum est. Hunc nexum fovet & firmat liquidum, quo asperguntur, & spiritus, qui illa pererrat à depressione servando. Solida depressa starent sine honore; liquida medio in cursu rigida consisterent, nisi spiritus vitalis hæc & illa intus agens motum, in quo vita tota posita est, perennaret afflatu vivifico, ac sui divinâ præsentiâ. Spiritûs nomine materiam subtilem intelligo perniciſsimam substantiam, à mundi primordiis motu certo non imminuendo agitatam ad nostra usque tempora. Hanc invisibilem negare nefas.

Accipe præterea quæ corpora tute necesse est
Confiteare esse in rebus, nec posse videri.
Sunt igitur venti nimirum corpora cœca
Quæ mare, quæ terras verrunt. . . .

Tum porro varios rerum sentimus odores,
Nec tamen ad nares venientes cernimus unquam,
Nec calidos æstus tuimur, nec fr.gora quimus
Vsurpare oculis, nec voces cernere suemus.

Illa corpora quævis subit, multorum solvit nexus, aut firmat. Applicatas semel invicem particulas arctius dum eundo premit vinciendo, pressione assiduâ, ac motu celerrimo in illas impingens.

Hac neque mobilius quidquam neque tenuius extat:
hæc est
Sensiferos motus quæ didit prima per artus:
inde calor, motus,
Accipit inde aër, inde omnia mobilitantur;

Concutitur tum sanguis & viscera persentiscunt
Omnia
Postremis datur ossibus atque medullis,
Sive voluptas est, sive est contrarius ardor.

Illa variè audit, prout diversa subit, & agit mixta. Quæ sui occursu cogit corpora, dum servat, nomen sortitur huic & illis commune; sic in plantis succus vegetalis audit, in animantibus spiritus vitalis, in mineralibus & metallis diversa ad ludibrium artificum sortitur insignia. Dat esse, dat vitam singulis.

quæ terra extus alit, quæ intus fovet; aërem ditat mundumque universum aspectabilem format, & illustrat.

Tam stupendas corporibus cæcis igitur natura ger.t res.

Ut vita eorum, quæ vivunt debetur huic: sic ruina huic accepta referenda est: nam eundo ni retardetur, aut obicibus positis aliò deflecti se patiatur, brevi diducta corporum compages alias experitur formas, hujus nisus ferre impatiens. Lubens existimarem veteres operibus & effatis practicis tam illustres, tam venerandos vocabulis humidi primigenii & caloris innati, nostro sæculo habitis in ludibrium, hanc sapienter prudenterque, ut Medicos decet, voluisse adumbrare. Hâc mollis liquidorum contextus brevi hujus afflatu perniciſſimo solvitur. Hâc solidorum apparatus flecti facilis, desinit esse ad resiliendum aptus, pressione viviciore solidior compactiorque factus. Elater demum hujus pernicitati debetur, paratas dum pererrat elateris vi eliciendæ ac exerendæ destinati vias, quæ in certis cuduntur solummodò corporibus. Fluida potiſſimum attende quibus alluitur corporis humani compages, de quorum jacturâ victûs ope reparandâ in præsentiarum agitur. Dum hæc subit hùc illùc facilem sibi viam ac parabilem sternens, singulas è quibus constat, moleculas diducendo facit, ut nec applicentur invicem, dum rotantur, nec coëant. Interim singulæ agitatione perenni, nisuque mutuo tenuiores evadunt usque dum obicibus omnibus fractis, nec coïre valeant amplius, nec ullam huic resistentiam afferre. Unde ruina totalis fluidorum, nam quibus constabant initio moles & ramosæ particulæ ad resistendum aptiores, in decursu vitæ sensim atteruntur, attritæ & regidiores factæ accedentes de novo, & è sinu alimentotum depromptas deterunt facilius, materiæ subtilis nisu in motum actæ; tandemque in silicernio ad coëundum aptiores se cedunt in moleculas & grumos, nec accedentis chyli aspergine diluendos, nec ullâ arte reparandos. Ut vivacis liquidi honos servetur incolumis justa requiritur inter nisum materiæ subtilis & molecularum, è quibus componitur liquidum proportio; vis agentis non excedat, non aliò deflectatur patientis ambagibus, aut obicibus plus æquo retardetur. Dum id agitur, deteritur sensim liquidi contextus, ni in locum attritarum, quæ secedunt particularum, novæ identidem accedant molles & ramosæ, quibus materiæ subtilis conatus acrior futurus, feliciter reprimatur. Illæ è sinu alimentorum cibi nempe & potûs depromuntur, quæ & molles, & simplices, & ejusdem indolis esse debent, sic ut & mole pares sint resarciendæ ruinæ, & tales, quarum occursu sistatur, ut decet, impetus materiæ subtilis, nec aliò deflectatur majoribus positis obicibus; aut viæ faciliores huic sternantur; quod evenit ubi acriorum usurâ aut volatil.um habitâ imprudentius, liquidis in grumos actis horum harmonia deteritur in dedecus artis, & ægrorum perniciem. Mollitudinem si desideres de modulo & quantitate sollicitus, quibus utaris facilius, quibus prudentius, quæ usurpes securius rogas? Sit tibi victus tenuis, sit simplex instar omnis Medicinæ: hujus mollitudine, & simplicitate feliciter impetus materiæ subtilis componetur; hujus tenuitas in obicibus ponet modum. Non secus ac in horologio, cujus artificium in eo positum est, ut rotarum sibi invicem respondentium positura, & numerus dentium quibus instruuntur, quasi tot obicibus positis, & interceptis morulis elateris impetum, qui spiritûs agentis vices gerit, valeant dum evolvitur eodem tenore, ac ex arte temperare.

I I.

ALIMENTUM cujus usura victum definit tenuem & simplicem, est id omne quo materiæ, ex quâ
constamus, assidua deperditio aptè & convenienter resarcitur: solidum alterum cibus dicitur; fluidum alte-
rum potus audit. Aqua inter fluida primas tenet, quæ pellucida, levis, inodora, saporem nullum affectat
puriorque valet suo sinu complecti mixtorum quasvis disjectas attritione particulas, quibus facillimè imbui-
tur, & saturatur. Hinc illud melioris notæ Medici effatum, *Ubi expletus est aliquis fac lius concoquit, si quid-
qu d assumpsit potione aquæ frigidæ includit.* Solvendis alimentis menstruum aptius haud ullum natura dedit
mortalibus. *Haud aliter tunc orbe novo cæloque recenti homines explebant sitim.* Ars in dies nova obtulit,
& quó plus à naturæ simplicitate in his parandis & excogitandis recessit, eò magis dubia obtulit. Cibus è
mixtorum familiâ duplici depromitur, vegetantium, & animalium. Primis hominibus quò parabilius erat,
eò magis arridebat alimentum: his propterea salutariter veniebant in usum olera, & fructus; & lacticinia:
cum uxor potanda ferens infantibus ubera magnis, & sæpè horridior glandem ructante marito tenui &
simplici victu uterque vesceretur. Plantarum, quæ in usum veniunt, multæ absque ullâ præparatione possunt
usurpari; succis fœtæ sic evolutis, ut levi attritione exprimantur, coquantur facillimè. Multæ arte & in-
dustriâ indigent, cui longa accessit experientia prima & melior Medicorum magistra. Hujus ope ars fecit,
ut quædam gratiora, & utiliora evaderent, quæ secus ingrata fuissent, aut nociva. Juxta illud celsi, *Nec
post rat onem Med cinam esse inventam, sed post inventam Medicinam rationem esse quæsitam.* Orbis cum
adolevit neglectis, quæ natura nutrix obtulerat, oleribus, fructibus, lacticiniis, homines animalibus vesci
incœpêre, nec non piscibus & conchiliis, & aliis id genus, quibus in hominis usum & maria & terras di-
taverat natura ferax & benignior. Vix horum ulla, si conchilia excipias, absque præviâ præparatione
alimenti nomen merentur, Hæc tota in eo posita est, ut succi fractis tubulis, qui mixti compagem
texunt præpedito motu progressivo, quo agebantur prius, alienum renovare valeant integris & vivacibus
commissi canalibus, intestino, (qui liquida semper agit,) motu non nihil immutato. Quo solidiores tubuli,
quo densiores, attritio major accedat necesse est: quo molliores, minor. Succorum motus intestinus pariter
hic est componendus, ut acrior temperetur; tardior concitetur in commodum animalis alimenti ope reparandi.
Jam intelligis cur hæc mixta arrideant elixa, cur hæc assa felicius in alimentum facessant. Sunt quippe succi,

quibus aqua faturatur facillimè, funt qui flammis intra proprios canales coërciti motum illum inteftinum fufcipiant aptius, quem coctionis veteres appellabant. Sic fuccus plantarum, fic cruor animalium, qui unus facefcit in noftrum utraque præparatione novam formam, diverfamque indolem fortitur; five affundatur limphæ, five dentium attritione è tubulis expediatur, aut ventriculi commolentis nifu exprimatur. Disjecta intereà tubulorum compages fractis & in tenuiffimas moleculas actis tubulis per canalem inteftinorum devolvitur fuccis undequaque affatim erumpentibus, pelliturque foras vi, (quam, ne pluribus exprimerent veteres ut recentiores confuéverunt, expultricem appellabant.) Fibrarum tamen pariter, ac nos pofituram ac elaterem callentes. Liquor idem alluit quæcumque vivunt mixta.

Unde alma liquentes.
Humorum guttas mater cum terra recepit,
Fœta parit nitidas fruges, arbuftaque læta,
Et genus humanum, parit omnia fæcla ferarum
Pabula cum præbet, quibus omnes corpora pafcunt,
Et dulcem ducunt vitam, prolemque propagant,
Quapropter meritò maternum nomen adepta eft.

Hunc agit intus idem fpiritus, dum obvias radicum terræ commiffarum apeituras, è terræ penetralibus fcaturiens ingreffus fuccos, quibus afperguntur, agit multifariam. Ad id tubulorum directione, refiftentia, & contextûs liquidorum varietate, diversâ ratione invitatus. Non aliter cruorem animalium intus movet, & ad progreffivum invitat motum; canalium elaterem (in organis ad id deftinatis), quo illa inftruxit, fui præfentiâ fovendo, & excitando. Materiem fubtilem veneris nomine falutabat poëta cum vere novo renafcentis orbis gratiffimo fpectaculo attonitus hanc fic alloquitur.

Nam fimulac fpecies patefacta eft verna diei,
Et referata viget genitalis aura favoni,
Aëriæ primum volucres, te diva, tuumque
Significant initium percuffæ corda tuâ vi:

Hanc intelligebat feminibus vegetalium explicandis; homuncionis primordiis evolvendis, cogendifque mineralium, & metallorum principiis occupatam, cum diceret.

Per te quoniam genus omne animantum.
Concipitur vifitque exortum lumina folis ....
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis ut cupidè generatim fæcla propagent;
Te fine neque fit lætum, nec amabile quidquam.

Succus nutritius idem materiæ fubtilis vi percuffus, quæcumque alluit, ac inftaurat mixta. Succus idem è terræ penetralibus faliens radices plantarum fubit.

Dædala tellus.
Unde alit, atque auget, generatim pabula præbet
Hinc alitur porrò noftrum corpus, atque ferarum,
Hinc lætas Urbes pueris florere videmus,
Hinc tandem lacteus humor
Uberibus manat diftentis.

Idem fuccus varias formas fortitur, nec unam indolem acquirit. Quæ fit falubris, quæ lhetifera cave chymicos confulas, jam à multis fæculis hos inter & naturam bella moventur atrocia. Noli interrogare Phyficos. Memineris poft inventam Medicinam, rationem effe quæfitam. Id unà multorum fæculorum repetita obfervatione confirmata experientia felicius declarabit. Succis plantarum vefcuntur animalia, quædam carnibus devorandis affueta cruore nutriuntur, & præ aliis certo ad id dentium apparatu inftruuntur. Homo præ omnibus à naturâ mutuatus eft inftrumenta, quibus & plantis & carnibus vefceretur, dentium omnis figuræ, & variæ pofituræ ferie armatus. Plantis tenue & fimplex alimentum terra fubminiftrat. Plantæ quale à natura mutuatæ funt animalibus largiuntur.

Vertunt fe fluvii, & frondes & pabula læta
In pecudes, vertunt pecudes in corpora noftra,
Naturam & noftro de corpore fæpè ferarum
Augefcunt vires, & corpora pennipotentum.

Natura fingulis ufum definit, qui fe guftu prodit in animalibus, ac manifeftum facit. Neceffitatem fames declarat, ejufdem ceffatio, aut imminutio ponit modum. Quia naturam unam fequuntur ducem brutæ animantes, ars nulla acceffit. Quid fit difcriminis inter plantas agreftes & domefticas perpende quantum virtutis, quantum roboris in his; quam fragiles licèt venuftiores culturæ hominum commiffæ. Perluftra animalium familiam, quàm generofa quæ à confuetudine hominum longius vivunt, & fana præ iis, quæ hominum commercio & vivendi ratione hebefcunt. Inter domeftica quàm infirma quàm putida brevem & caducam vitam vivunt, quæ fi in deliciis domini habeantur, unà cum parafitis imbellem ftomacum conditorum varietate & mole fatigant. De hominis integritate follicitus feriem temporum perluftra, avos interroga, quàm longævi homines.

Cum frigida parvas.
Præberet fpelunca domos, ignemque laremque,
Et pecus & dominos communi clauderet umbrâ.

Cum oleribus, fructibus, & lacticiniis folummodo vefcerentur. *Credo*, (inquit autor percelebris,) *eos qui gentis mores condiderunt parco & parabili victu oftendere voluiffe jungentibus opes quantulo contenti effe deberent* brevior vita hominum, ubi animalibus & cruore vefci incœpere: breviffima tunc temporis, & mille in commodis deformis, *ubi luxuria contemptiffimorum vitiorum officinas inftruxit gulofius condiendi cibos, & luxuriofius fercula ftruendi.* Verifimile eft (inquit Celfus) olim cum foret exigua Medicinæ fupellex,) *Inter non multa auxilia adverfæ valetudinis, plerumque tamen eam bonam contigiffe, ob bonos mores, quos neque defidia neque luxuria vitiarant.* Ex quo vero graffatæ funt, *Multiplicem iftam Medicinam neque olim neque apud alias gentes neceffariam vix aliquot ex nobis ad fenectutis principia perducere.* Sed necdum arridet tenuis victus & fimplex. ô coenipeta. *Cui in folo vivendi caufa palato eft!* faftidis fimplicem cibum; *Qui guftus elementa per omnia quæris,*

20

deficiunt inopem vena te, ni cibus atque ingens accedat stomacho fultura ruenti; Disce jejunum rarò stomachum vulgaria contemnere. Ne à simplici victu abhorreas, disce mala copia quando ægrum sollicitet stomachum, ut simplex acceptabilis veniat, accipe demum quæ victum tenuem & simplicem salubrem efficiant.

III.

UT victum simplicem resarciendæ liquidorum ruinæ aptum, tenuem verò jacturæ reparandæ parem liquidò constet, scito unius cruoris potissimum jacturam fieri quæ sit reparabilis: illam solius cruoris accessione instaurari, aut succis in cruorem facile abeuntibus. Ut qui deteritur continuò reparari indiget; sic qui in locum detriti sufficitur attritione opus habet: quò veteris & recentis communione cruoris æquabili motu & proportione temperies totius debita exurgat, quam veteres appellabant temperamentum ad justitiam. Cruor intestino motu, quo indesinenter agitur vi materiæ subtilis percussus, sensim particularum, ex quibus componitur, divisionem experitur: Ni ulteriori jamjam imminenti occurrat recentis accessio cruoris in locum soluti, quo debitæ compagis robur firmetur, & retardetur nisus materiæ subtilis. Semotas extra limites motûs intestini particulas motus progressivus ejusdem cruoris eò devolvit, quò parationes aperturæ positæ sunt his foras mittendis aptissimæ. Viscida inde sputorum colluvies per os è glandulis eò loci circumquaque positis, è pulmonum cavo, è nasi, & auris interioris amfractibus stillans abundè excernitur: serum inde salinis particulis saturatum è renum papillis depluens ureterum viam ingressum in vesicæ cavo ad tempus deponitur. Ut cruoris recrementa nullibi corporis jam motu intestino orbata huic debitè absolvendo noceant, ubique obviæ sunt aperturæ quas subire possint. Cutis tota pervia hians his occurrit. Videres hominem facillimè omnium, qua data porta, affatim erumpentium succorum quasi caliginosâ nube obductum & circumfusum. Crederes in auras & fumum abiturum hominem, dum sic undique totus indesinenter diffluit. Quæris jam quæ viæ recenti cruori, quis ad veterem aditus concedatur. Solidioribus alimenti fractis & contusis tubulis affusus ventriculo tepenti committitur. Hujus alternis contractionibus moles omnis fluidis aspersa mollior fit, & confusa pellitur ultro versus canalem huic continuum intestinalem dictum. Quæ fluidior vias ingreditur nec oculis, nec ullâ arte conspicuas, soli naturæ notas: ingressas tamen canalis à tergo positus & intestino continuus, iisdem acceptis turgens, & luxurians ultro significat. Dum naturæ liberalioris dona ostentat, & tegit modum. Recens cruor hinc eundo liquidis indesinenter permiscetur usquedum rutilo & veteri partitis vicibus affundatur. partitis quidem vicibus recenti vetus aspergitur, ne accedentis moles major veteris nisus obruat, qui & sui & auxiliaris non immeritò perfector habetur. Jam, ne te fugiat quare sui jure perfector audit, accipe quàm parvo natura contenta sit de accessione sollicita. Quàm vacuis committere venis nil nisi lene conveniat, ut cruoris harmonia perseveret. Vix recens veteris cruoris talamos ingreditur, cum motus intestinus utriusque majoribus positis obicibus retardatur, dum nectit eundo moras ac difficilius sese explicat: instrumenta quæ ad ulterius progrediendum indesinenter compellunt, urgent ultro ac repetitis percussionibus diverberant; pulsus inde plenior & concitatior observatur. Per arterias quippe sanguis crudo cruore saturatus ægrè admodum devolvitur. usque tardigradus nil portendit mali; molles obices facillimè superabit materia subtilis veteris in recentem cruorem firmando imperium. Propterea tenuatis ope motûs intestini recentis cruoris, qui chylus appellatur particulis, & figuræ veteris, nec non moli aptatis, fluidior uterque circumagitur facillimè. Tum detumescunt arteriæ pulsant lentè: inter media quies res esse in tuto declarat donec obicibus omnibus remotis adaucto nisu materiæ subtilis, & depressâ liquidi resistentiâ cruor fluidior factus ubique spontè magis circumferri, quam arteriarum à tergo prementium percussionibus iteratis circumagi videatur. Tunc temporis pulsus æqualis, sed languidus vix renitet, non est oculis splendor qui fuerat, sensuum organa hebescunt. Musculi robore ac elatere destituuntur superatâ omni, quæ erat inter liquidi compagem, & materiam subtilem, resistentiâ. Cave ne vulgi ad instar credas haustu vini generosi, aut spiritûs acrioris usurâ in instanti vires, quæ intenduntur ac renovantur, his auxiliis acceptas esse referendas (non est eadem jactura cruoris & spirituum, nec iisdem artibus reparatur:) quasi calcaribus admotis contrahuntur fibræ tubulorum vehementius: cruor his contentus arctius comprimitur, non resarcitur jactura liquidi, quæ unâ potest mollis & recentis succi ope reparari. Motui intestino succedit progressivus; primus cruorem ditat, alter beneficum reddit: hujus auxilio ad omnes corporis partes appellens sanguis vividior organa sensuum exquisitiora reddit, motûs instrumenta efficit robustiora. Num sola hujus præsentia his & illis hæc bona fecit! minimè. Agens idem, quod omnia suâ vi pellit, materia nempe subtilis fibras, quæ orgonorum compagem texunt, evoluit & pererrat; in quibus resistentia major, & nisus acrior elateris vis robustior se prodit, in quibus aditus facilior viæ angustiores & densæ magis vix ulla comperitur: fibras omnes intus agit sive à positurâ coeuntes in membranas expandantur, sive collectæ in fasciculos musculorum seriem describant, sive acervatim coactæ abeant in tendines & ligamenta, sive densatæ vinciantur arctius, desinantque in os, sive ductiles in tubulos decussatis ordinibus producantur: nil horum est vetat, quin per illas indesinenter agatur materies subtilis, quam in animalibus spiritûs animalis nomine salutabant veteres Medici. Aditus quis sit materiæ subtilis ad illas, quis exitus interrogas: num illius jacturâ, & cujus auxilio reparabilis veniat sciscitaris. Cruor ad glandulas cerebri appellit spirituum seu materiæ subtilis dives, hujus ad sanguinem aditus triplex, accessione videlicet chyli recentis: aëris in pulmones irruentis præsentia, Tertiò demum perporos cutis foras intro pervios, quorum ope mercurius ad sanguinem usque delatus, una cum cruore motu progressivo

circumfertur. Vix ad glandulas cerebri appulit sanguis. Cum materia subtilis fibram nerveam glandulæ continuam ingreditur, pars sanguinem per venæ tubulum redeuntem adoritur, superatis prius, quæ glandulam texunt fibris, pars lymphaticos ductus relegit; divisum tntereà cruorem revehunt canales singuli rursus coeundum in unum & eundem qui prius fuerat. Textura glandulæ te fugit, artificium, aditus omnes & mæandros mille non detegit oculus microscopiis armatus, an aërem, an ventorum vortices acie oculorum observasti? Lux ipsa coloris expers lucida pingit, & hæc singula, quæ demiraris materies subtilis facit. Quid ut de illius præsentiâ certior factus venias, persequeris per invisibiles fibrarum nervearum tubulos progredientem? Molles cedunt ac variè deflectuntur usque dum organis sensvum aut motûs immergantur.

Nec magnis intervallis primordia possunt Libera dissultare ideo conclusa moventur.

Aër per tubum organi pneumatici adactus non prius resonat, quin extremam tubi partem offendens obicibus positis eundo subsultim retardetur. Fibra nervea spiritum vector polita æqualis, arctior, mollis, sequax, sic ad organa sensuum, sensûs expers, ad instrumenta motûs iners, aut moveri nescia defert, te nil tale cogitante, cæca corpuscula, quibus acies organorum sensuum & robur instrumentorum motûs absolvatur: haud aliter; sanguinem devehunt arteriæ, & venæ revehunt qui docilis inersque videatur donec ad partes appulerit, quas ubi vix delibat, & ecce in glandulis in varios succos formas induens mille abit, in musculis ad instar cunei corrugatis fibris cellulas fibrarum musculi tardigradus distendit, undè breviores. Membranas organorum sensûs explicat actensiles reddit quæ commoveri queant facillimè. *Sic anima atque animus per se nil posse videntur*, ubi coercito tument vasa, ubi lutulento impedita, in molem ampliorem distenduntur; noli propterea existimare quid simile in fibrâ nerveâ quæ vagatur observari oportere, agens molem non habet tibi conspicuam, si transitus non concedatur alio deflectit facillimè, & te curiosum deludit. Cave igitur ne molem cerebri inertem ac vulgarem credas, quod sectoris insultibus deteratur, quod se oculorum aciei explicandam non permittat, cave ne meningibus plus tribuas, quod solidiores magis resistant. Ventriculi membranas intuere, scrutare vesicam, pleuvram evolve, peritoneum explora, organorum involucra perlustra: tensiles membranæ è quibus compinguntur, in certos motus aguntur arteriarum ope, cruore aspersæ, turgidæ spiritibus fasciculi nervei interventu, qui ad singulas appellit quo vitiato omnes concidunt motu aut sensu orbatæ, quo restituto resurgunt. Vide ne imprudens neges quæ oculos fugiunt, stillat è papillis renum urina lutulentior, te fugit unde prodeat, ex hepatis penetralibus bilis erumpit continuo, nec vides in sano glandulas è quibus affatim scaturit, non se dum viget, natura operantem manifestam facit, sileret æternum ni se erroribus deformis quandoque prodidisset. Ubi corpus omnibus numeris absolutum alimento non indiget ut majorem in molem crescat, eo utitur solummodo, ut quæ liquidorum particulæ motu deteruntur assiduo, & inertes foras amandantur novis ex alimentorum sinu decerptis instaurentur, *quantitatem aptè ad vires hujus vel illius hominis accommodatam rectâ conjecturâ, assequi ardua quidem res est*, inquit divinus Senex. Hanc tamen aliquomodo declarant fames & sitis, quæ sunt cibi & potionis mensura & aptius condimentum. Morum vivendi rationis, exercitiorum, cæli, regionum, aëris, ætatis, animi pathematum cognitio accuratior, necnon corporis uniuscujusque observatio huic accuratius definiendæ plurimum inserviret. Ut partes assurgant majorem in molem è cruore secedunt particulæ molles, quæ obvia solidarum partium intervalla subeunt, his aptantur. Ut applicentur invicem, nexusque firmetur singularum, id suâ vi absolvit materia subtilis. Operosa in infantibus, quiescit in adultis, nec amplius ad opus revertitur. Rem scio, modum nescio: recens natus in quo tantùm opus inchoatur uberibus matris appensus avidè sugit latices, quibus id miraculi tam stupendum & vulgare absolvitur. Tunc informis succi plenus, sic saturatus turget, ut hujus molem credas nil alliud esse præter lactis sine ordine coacti confusos tubulos; quos materia subtilis sensim, ubi explicantur, disponit, per fibrarum canales viam sibi indesinenter sternens parabiliorem ad cruorem unde manavit recurrit continuo. Ubi adolevit organis instructus omnibus numeris absolutis, desolis liquidis sollicita natura motui posuit terminos quos ultrà citraque nequit vita salubris consistere. Quæ esset indoles singulorum declaravit. Error si vel levis occurrit morborum numero & sævitiâ reprimitur, illicò aut plectitur. Ne in molem assurgant majorem liquida tenuè alimentum facit: simplex vetat ne horum indoles vitietur.

IV.

UT tenue alimentum arrideat simplex esto, hujus necessitatem indicat famis & sitis utriusque sensus, jucundâ primùm titillatione se prodit (fidus interpres naturæ dolor, & voluptas) ubi ultra modum producuntur in faucibus importunus calor & adurens canalem contrahit & ad pulmones extenditur: oris cavum, ultra cujus limites nil sapit, ingratum spirat glandulis, quibus respersum est stagnante humido viscidiore fœdatis. Hæc sunt vulgo signa quibus significet natura quam necesse sit cruorem recentis aspergine quam primum reparari; si auxilium resarciendæ ruinæ impar, si rarius solito occurrat; sensim corpus totum contabescit, non quia vitium contraxit sanguis, sed quia idem impune nisus materiæ subtilis ferre diu non valet quin penitus deteratur. Non unâ ratione sanguis sui jacturam continuo experitur. In auras per sudores integer diffluit, perspiratio insensilis in quam molem non assurgit? Quo fluidior: major. Quo facilior; eò melior evenit: quo lutulentior, eò

22

parcior. Quo parcior, eò deterior comperitur. Quæ minus diffluunt animalia tristem solitariamque vitam vivunt. Unde per longum temporis intervallum alimento carere possunt. In his quia liquidorum intestinus motus obscurior, progressivus variè distribuitur. Cruor qui sincerus per poros cutis dissipatur, ad id non solum sponte invitatur, ubi moles illius major, sed cogitur sæpius invitus, cum videlicet musculorum frequenti contractione aut organorum sensûs majore & assiduâ nimis tensione, detritus & commotus foras propellitur extra circuitûs cancellos: sic quiescentibus à motu musculis, sic sensuum organis à tensione remittentibus totis sudor manat undique rivis: in his & illis lassitudo ad doloris sensum accedit. Aliâ insuper ratione minuitur cruoris moles, ut detritis motu intestino particulis sese expediat ad renes, oris cavum, oculos, aures, necnon ad intestina ope progressivi motûs delatus in singulis has deponit foras canalibus ad id destinatis quamprimum amandandas. Quæ in canalem intestinorum decidunt relliquiis alimentorum permixtæ, unà per canalis amfractuosos ductus ad podicem devolvuntur. Est una insignis, quæ ducit ad reparationem via; chylo patet; sunt multæ quibus vitietur, & omnes chylum furtim & malignè adoriuntur. Quem propterea expedit veteri cruori affundi, ut hujus resistentiam inter & nisum materiæ subtilis æquilibrium (à quo vita hominis pendet) servetur integrum. De illo actum esse probè intelligis, si moles recentis major sit veteris, verò minor. Et id mali facit ingluvies, unde illud celsi *Corpora quæ nimium repleta sunt, celerrimè & senescunt & ægrotant.* Ad ingluviem propensio non naturæ erratum sed hominum lethale deliramentum; *quo inventa sunt mille conditura, quibus aviditas excitaretur.* Hinc sobolescit seges multa morborum, quos longa avorum series nesciebat: horum semina cruori credita seriùs ocyus assurgunt, *neque enim morbi derepente hominibus contingunt, sed paulatim collecti acervatim se produnt*, quo tempore,

Non præmaturi cineres, nec funus acerbum
Luxuria, sed morte magis metuenda senectus.

Morbis mille lacessita; mille afflicta incommodis: succi pleniorem intuere hominem, ut pulmonis egens spirat ægrè, ut tardigradus, ac pede male firmo incedit anhelus, ut à motu diffluit sudoribus; ut facies aspersa cruore turgens, intumescit; ut acies oculorum flammea micat dubia; ut sub pondere gemunt, & genua labant; ut abdomen in prodigiosam molem assurgens oculis eripit supposita, quæ huic jacent sine honore membra; loquentem demirare: vox humida subsultim cum salivâ erumpit, & inconditos sermones profert vix mens altè corpori demersa se prodit: sic una vivendi causa huic in palato superest. Prodigiosa moles ex improviso prostrata corruit; non quia liquida vitium contraxerunt, mors præcipitata venit, sed quia saturata plus justo. Si uberius alimentum noceat quid non mali facit à simplici alienum; & artis auxilio nocentius conditum? quo nostrates ac divites potissimum, imprimis delectantur; juxta illud Poetæ, *Irritamentum gustûs languentis, & acres divitis urticæ condita.* Celso duabus de causis *condita omnia inutilia videntur; quoniam & plus propter dulcedinem assumuntur; & quod modo par est, tamen ægrius concoquitur.* Non magis divino seni arrident. *At vero opsonia*, inquit, *ex intritis præparata, ideo sunt æstuosa & humida: quod pinguia, ignea, & calida, & inæquales inter se vires sortita, in eodem resident.* Difficile tamen est dicere, *quò hâc nostrâ ætate ciborum conditiones, quò corporum lenocinia processerunt*; sic ut celso teste complures reperiantur, *qui quotidie ejiciendo vorandi facultatem moliantur.* Condîta appello quæ è succis malè invicem coëuntibus parantur aromatum vi & acumine radicum acriorum confusâ farragine imbuta. Ne credas ventriculo, commissa opsonia, quæ expinguibus, & igneis, & calidis, & inæquales inter se vires sortitis parantur, concoqui, & in dulcem, qualis convenit Chylum, facessere. Coctio in ventriculo inchoatur non perficitur. Continuatur in intestinis, non absolvitur. Unus sanguis sui perfector ultimam manum coctioni affert. *Hinc si ejus, quod assumptum est, validæ vires indomitæ fuerint, nec prorsus ventriculi robore evictæ, eæ vel substantia vel quoquo versum expirante vapore in omne corpus permanabunt; ipsum quæ cor & cerebrum atque universum corpus concutient. Ventriculi quippe calore infracta quodammodo sunt alimenta non tamen prorsus extincta, nec pristinis omnino spoliata facultatibus, quæ etiamnum manent in sanguine.* Coctio in eo sita est, ut recentis & veteris cruoris particulæ, quæ totum complent aptè moveri possint invicem, & motu intestino appositè circumagi. Robustior ventriculus audit, qui confusam alimenti molem attritam accuratius & melius dilutam facilius pellit foras & promptius. Quam devoravit non integram servat alimenti molem, donec discerpta & in pultem acta fluidior foras pellatur, sed partitis vicibus affatim ac indesinenter elabi sinit. Infirmatur ventriculus, cujus fibræ viscidâ intus colluvie impeditæ vim ejus expultricem lædunt, *unde pridiani cibi onere marcescens opprimitur, cum novus devoratur.* Canalis intestinorum, cujus longiùs producti in gyros aperturæ mille hiant, excipiendo chylo accommodatæ, vi retentrice, quâ pollet successivâ contractione molem alimentorum exprimit, & chylum micantem ad subeunda lacteorum ductuum oscula invitat. Huc usque chyli moles è synceris mixtorum moleculis atque integris coacta sanguini affunditur, sapida, odora, pinguis, ignea, calida, & inæquales inter se vires sortita; pars indocilis flecti ad renes amandatur, quæ urinam malè olentem reddit; pars per sudores diffluit, quos crudioribus chyli reliquiis saturatos, & viscidiores reddit. Nil non natura molitur, sanguis ut tenacem conditorum succum solvat; ut rigidiorem frangat, ut temperet acriorem. *Aspice ut hesternum, quod despumare falernum sufficiat, oscitet pridiani cibi onere marcescens stomachus.* Chylo crudiore gravis ubi ad partes defertur sanguis identidem eundo retardatur occursu molecularum malè subactarum, quibus vel mollis solvitur, vel in grumos coeuntibus lutulentus fluit. *Mille manantia corpuscula per invisibilia*

foramina subsistendo iter claudunt. Pars fluidior vitio motûs intestini crescente in dies aliò secedit, damnosâ, quæ superest, in coagulum abeunte. Adaugetur sensim cruoris jactura, & moles ejus mollis conditorum aculeis hispida, aut tenacioribus particulis facta viscidior ubique sibi nectit eundo moras: dum nisus materiæ subtilis repetitis percussionibus faciles sibi vias parat obvias quasquæ inconditæ molis aut figuræ moleculas huc illuc disjicit. Deflectentes viscerum diversoria reconditissima offendunt haud impune. Labes inuritur occulta primum suo tempore sævitura, Quid aliud vaporum nomine intelligas præter latentes cœnæ dubiæ insidias in intimis viscerum amfractibus nidulantes, ut ex improviso cruorem pro more circumeuntem malignè adoriantur, & medio in cursu sistant. Hinc frequens nostris temporibus apoplexia: hinc morborum nostra ætate mutabilis facies. Sequaces Medicos expostulat, unguentarios, conditores, cycophantas, loquaces, eo præstantiores, quo à veterum simplicitate recedentes ad naturæ agendi modum minus accedunt. Diram scorbuti labem explora per classes grassantem. Caries ossa depascitur: nescia flecti membra rigent: sanguinis in grumos acti maculis distincta. ubique corporis teterrima lues errores sanguinis prodit, & notat rodentis alimenti vestigia. Prima labes intestino sanguinis motui inuritur: mox progressivum lædit: tandem canalis compagem rodit. Quod contraxit vitium ægrè reparatur: restituitur tamen visceribus illæsis, alimenti convenientis & mollioris usurâ. Ast ubi salsâ tabe adustis præcordiis hepar tartareâ fœce obruitur, & accessit bilis. ubi lienis compages detrita in saniem diffluit, ubi renum contextus urinæ in calculos abeuntis aculeis sauciatur, ubi arthritis articulos invasit, aut depluens serum acrius musculos occupavit, frustra Medicinam paras.

Vita quæ te manens conficit angoribus *Dimissa molestiis omnibus una liberabit.*
Si vis beatè ac feliciter vivere discas quàm parvo benè vivitur.
Num esuriens fastidis omnia præter *Pavonem Rhombumque?*
Una sobrietas solatia dulcia vitæ conciliat, & spatium vitæ extendit.

V.

OMNIUM animantium generi communi lege est à naturâ tributum, ut insiti vi motûs, quem calorem appellant Medici, vitam agant: motus ille materiæ subtili debetur, nullus quippe humor ad id aptus erat & habilis, ut tantâ celeritate corpus omne trajiceret. Propterea necesse fuit huic liquidum substerni substantiam videlicet tenuissimam, pernicitate velocem, quæ simul fovendo calori familiaris esset & amica. Hæc materiâ subtili perfusa & mobilis spiritus audit, quia velox & pernix. Interdum à viribus & effectu calidum innatum appellatur. Ubi spiritûs nomine materiem subtilem intelligis, de primo agente loqueris orbi coævo, rerum omnium quæ sunt opifice ac moderatore. Ubi vero liquidum hac perfusum dicis, alterum effingis quo viventia corpora in motus certos aguntur, illud deteritur facillimè: non est unius diei proles, sed à matre prodiens, congenitum seu insitum, mox adventitium audit. Caducum & reparabile pabulo indiget, quo renovetur, & id è sinu alimentorum depromitur. Liquidum illud quò elaboratum magis eò perfectius caloris facultatumque sedes est & vinculum, primum que obeundæ functionis instrumentum jure ac merito habetur. In solidâ primum substantiâ maximè consistit, omniumque functionum est opifex. Solidam substantiam appello primum illud lineamentum & stamen illud stabile atque constans, per quod toti robur inest & firmamentum, & quo tanquam basi reliquæ substantiæ innituntur & coercentur. Lineamentum illud quid aliud est, nisi fibræ è quibus contexuntur solida? è fibris in ortu quasi laxatis habenis erumpit, & omnia in motus reciprocos agit. Liquida fervent & renitent. Illud diverberat & reprimit. Fervent & renitent liquida vi ejusdem motûs insiti: fervent dum intus agit: renitent dum hujus vi pulsa solida diverberant & reprimunt. Inest igitur solidorum fibris spiritus: inest & liquidis; in solidis quidem defœcatior, in liquidis verò intricatus magis. Hinc assiduus in liquidis fervor, quo tenuantur. In solidis vero pene nullus observatur, quia purior. Utriusque origo à sanguine detritione majore tandem ad perfectionis acmen pervenit. Crescit sensim cum calor adaugetur evolutis partibus. Quia purior in infantibus excellit tenuitatis ultimum gradum jum in illis adeptus, & nativus dicitur: in juvenibus adventitius audit. Acrior, quod liquidis minus tenuatis foveatur. *Quidquid enim in his huic tanquam pabulum subest id universum incendio quasi deflagrat ætatis vigore ut tum acerrimus calor omnia vorans sese nequeat amplius effundere.* Tunc cum ossa, nervi membranæ, non ultra sequi ducive possunt, incrementum omne sistitur. Tum verò omnibus membris summum robur inest, summæque vires insunt ad animalium operum functiones. Materiæ subtilis & cruoris actio & reactio perennis, tantaque horum consentiens, conspirans, & continuata cognatio, ut semper mutuas operas conferant, nihilque unum efficere possit alterius ope destitutum. Hæc tam admirabilis & amica concordia jacturâ perenni, & assiduâ reparatione servatur incolumis. Quantum illa necessaria tantum illa utilis. 1o. Ne vasa turgeant, 2o. Ne organa impediantur: 3o. Ne motus liquidorum uterque vitietur, demum ut materiæ subtili pabulum conveniens substernatur. Sed quid hæc ad alimenti tenuitatem & simplicitatem spectant? Quid? accipe, è cruore nimium & frequentius saturato ægre depromitur materia illa tenuis & purior cum materiâ subtili sociabilis, unde solidorum elater. Ipsa liquida lentius fervent, difficilius intùs commoventur, feruntur que tardius. Succi pleniores attentius explora, & veritas tibi facilius elucescet. è cruore calidioribus succis fœto aut paulo acrioribus, materies illa concitatior & adurens secedit ocyus &

uberius, unde solidorum evolutio promptior quidem sed brevior. Tunc observare licet suscitato calore spiritus facultatesque erigi: mortem vero maturari. *Non secus ac calx ad arboris radicem conspersa fructum accelerat, arborem verò perimit: sic calidiorum alimentorum usura omnem vitam alacriorem & vegetiorem, sed tamen breviorem facit.* Propterea divitum adolescentia fugax: pubertas præceps, virilis ætas brevis, senectus prompta. Propterea lasciva juventus ante tempus caduca languet ubi adolevit, propterea infirma proles vitio parentum mille plectitur incommodis.

Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in Juvencis, est in equis Patrum
Virtus. Nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Propterea conditorum usurâ sobolescunt morbi mille, quos prisca ætas nesciebat, his cruor foetus deteritur assiduo, solvitur, excandescit, acescit, in grumos cogitur, ubique eundo nectit moras. Hinc tot in solidis insidiæ parantur, quæ obtutum fugiunt, quibus fit, ut pauci nostrâ ætate extremâ senectute confracti naturæ necessitate mortem oppetant. Multi tabificâ & occultâ febre arescentes, aut ignoto vitio, immaturâ morte decedant. Hæc mala facit ingluvies, quâ sanguinis moles adaugetur, & elaboratur difficilius. Hæc mala facit conditorum usura, quâ sanguis aduritur & vivens conditur, quâ deteruntur solida. Nil non natura molitur, ut minuatur cruoris moles, dum insanus quærit irritamenta, quibus adaugeat. Quo sincerus diffluat affatim cutis mille oscula patent. Multus in adiposis sacculis, ne remoretur progredientem tardigradus reservatur. Toncillæ, uva, lingua palatum, ne superis noceat aquosum evomunt. Pancreas tenuiorem fundit, hepar acriorem secernit, nares viscidiorem, oculi salsum, aures amarum, renes lutulentum; sic sanguis variâ sub imagine indesinenter diffluit. Ad eluendas sordes intestina assiduam navant operam. Unus ad reparationem aditus patet, multiplex recrementis exitus aperitur. Cruoris moles major est? Hanc diæta minuet, substrahendo pabulum; cruor vitium contraxit, hostis est ad portas non sine morbo foras pelletur. Ægrius ejicitur quam non admittitur hospes. Cave ne ingrediatur, tumultuantem ocyus expelle; ingressus sævit, non admissus facilius coercetur. Ingresso nullæ impunè patent viæ ad secedendum. Hoc variè fœdatur cutis, glandulæ tument; pulmo turget roditur, exulceratur; hepar obruitur; deteruntur renes; pancreas lien indurantur; solida fatiscunt: liquida confusa sine ordine moventur: quam furtim ingressus est viam fac ocyus, ut relegat: nulla parabilior, quam quæ in intestina aperitur: coge reluctantem: nullas prudens scit dare inducias. Tunc solum audaces natura juvat, frequens timidos experientia plectit. Cruda move, quæ impune maturari nequeunt: unus canalis ad eluendas sordes destinatus intestinalis dicitur, in quem humor multus à sanguine depluit, fac hostis præsentia cohibitus, ut erumpat uberior, ne alio divergens noceat. Acquiret eundo vires, quas secedendo amittit, non nisi morâ nociturus. Solus filius artis occasionem captat, & premit fugientem, hic sibi nomen facit, præceps illa fugit. Occupa. Res cunctando non restituitur, sed in pejus abit, hac arte reseratis colorum osculis, quibus natura consueverat sordes sanguinis eluere solidis partibus pristinum redit robur. Fluidis ad secedendum aptioribus factis, & utrisque insperatus honos redditur, qui prius fuerat post nubila illucescente phæbo.

Accipe nunc victus tenuis quæ quantaque secum
Afferat; imprimis valeas bene: nam variæ res
Ut noceant homini credas memor illius escæ
Quæ simplex olim tibi sederit; at simul assis
Miscueris elixa simul conchilia turdis;
Dulcia se in bilem vertent stomachoque tumultum
Lenta feret pituita, vide ut pallidus omnis
Cœnâ Desurgat dubiâ, quin corpus onustum
Externis vitiis animum quoque prægravat unà
Atque affligit humo divinæ particulam auræ.

Perniciosa admodum sentina est abdomen insaturabile omnium tum corporis, tum animi vitiorum fons & origo. Hinc intemperantiam quis Medicorum nutricem appellat, una cum temperantia totius verè sit jucundæ salubrisque vitæ moderatrix.

Ergo tenuis & simplex victus salubris.

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA ENGUEHARD, Constantiensis Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. M. DCC. V.